



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod æternitas & magnitudo & potentia in Deo vnum sunt, etsi videantur
diuersa. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec filio, nec spiritu S. (quantum ad naturæ diuinæ unitatem pertinet) aut anterior, aut maior est pater, nec filius spiritu sancto. Aeternum quippe & sine initio est, quod filius de natura patris extitit: & æternum ac sine initio est, quod spiritus S. de natura patris filique procedit. Ob hoc ergo tres vnum recte credimus, & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, vna naturaliter est trium personarum diuinitas. Ecce breuiter assignauit Augustinus in quo trium personarum consistat æqualitas, scilicet quia aliam non excellit, aut æternitate, aut magnitudine, aut potestate.

Quod æternitas, & magnitudo, & potestas in Deo sunt vnum, licet ponantur quasi diuersa.

B

CVMQVE enumerentur ista quasi diuersa, in Deo tamen vnum & idem sunt, scilicet essentia diuina simplex & incommutabilis. Vnde Aug. in li. 7. de Trin. Non alio magnus, alio Deus est: sed eo magnus, quo Deus: quia nō est illi aliud magnum esse, aliud Deum esse. Eadem quippe eius magnitudo est, quæ virtus: & eadem essentia, quæ magnitudo. Pater ergo & filius simul vna essentia, & vna magnitudo. Ita etiam & potentia Dei, essentia diuina est. Vnde August. in 7. lib. confess. Voluntas & potentia Dei Deus est. Aeternitas quoque Dei essentia diuina est. Quod Aug. ostendit super illum locum Psal. In generatione & generationem anni tui. Est generatio generationum quæ non transit, collecta de omnibus generationibus, id est, sanctis. In illa erunt anni Dei qui non transeunt, id est, æternitas Dei. Nō. n. sunt aliud anni Dei aliud ipse: sed anni Dei, æternitas Dei est. Aeternitas vero ipsa Dei substantia est, nihil habens mutabile. Inconcussè ergo teneamus quod vnum & idem est, scilicet essentia diuina, Dei æternitas, potentia, magnitudo, & tamē cōsuevit scriptura hæc & his

Aug. ca. 1. ad principium.

Aug. in fine cap. 4. 10. 1. Aug. ad 25. vers. Psal. 101. tom. 8. hunc: Ne reuocet me.

& his similia quasi distinctè ponere. In his ergo verbis trium personarum æqualitatem breuiter complexus est Aug. Quia alius alium nec æternitate, nec magnitudine, nec potentia superat. Quod autem æternitate aliqua trium personarum alium non excedat, supra ostensum est, vbi coæternitas trium personarum insinuata est.

Hic de magnitudine, quod ea aliqua personarum aliam non excedit.

NUNC igitur superest ostendere, quod magnitudine vel potètia alius alium nõ excedat, & prius de magnitudine videamus.

Quod est maior vna persona alia, nec maius aliquid dua quam vna, nec tres vel dua quam vna.

*Aug. ca. 10.
S. ult. l. 6. de
Trin. in fin.*

*Lib. 3. de or-
thodoxa fi-
de cap. 6.*

*Iuxta latinã
interpretationem.*

*Cap. 1. ad
mediũ.*

SCIENDVM est ergo quia pater non est filio, nec pater vel filius maior spiritu sancto, nec maius aliquid duę personę simul sunt, quam vna, nec tres simul maius aliquid quam duę: nec maior est essentia in tribus quam in duabus, nec in duabus quę in vna: quia tota est in singulis. Vnde Ioã. Damasc. ait: Confitemur Deitatis naturam omnẽ perfectè esse in singula suarum hypostaseõ, id est, personarum: omnẽ in patre, omnẽ in filio, omnem in Sp. sancto. Ideo perfectus Deus pater, perfectus Deus filius, perfectus Deus spiritus sanctus.

Quomodo dicitur esse Deus pater in filio, & filius in patre, & spiritus sanctus in vtroque, & singulus in singulis.

Et inde est quod pater dicitur esse in filio, & filius in patre, & spiritus sanctus in vtroque, & singulus in singulis. Vnde Aug. in lib. de fide ad Petrum: Propter vnitatem naturalem totus pater in filio & spiritu S. est, totus quoque spiritus sanctus in patre & filio est. Nullus horum extra quęlibet ipsorum est, propter diuinę naturę vnitatẽ. Ecce hic aperit aliquatenus: non enim plenè potest tã-

tum